

rem fieri non possit absque scandalo; ex cohabitatione vero de incontinentia probabiliter timendum tibi visum fuerit. » Vult hæc clausula, ut, si absque scandalo separari possint putativi conjuges, vel saltem, si separari nequeunt, ut frater et soror cohabitare sine periculo incontinentiæ valeant, negata dispensatione putativos conjuges ad id inducat. Verum notant circa hanc clausulam communiter doctores præsertim Sanch., lib. VIII, disp. 34, num. 60; Justis, lib. I, cap. VIII, n. 178; Lezana, *†. Litteræ apostolicæ*, n. 30, ordinariæ nō esse necesse, ut confessarius experientiam capiat, si ex præteritis, vel præsentibus, aut alias consideratis considerandis personarum et rerum circumstantiis prudenter judicat, conjuges nec sine scandalo amplius separari, nec absque incontinentiæ periculo ut frater et soror cohabitare posse; uti ordinariæ fieri nequit hoc ipso, quod prius pro veris conjugibus habitus varias suspiciones, sui que diffamationem in populo causarent, si separati vivere deberent; cohabitantes autem sine periculo incontinentiæ nunquam, aut rarissime aliquos victuros sperandum sit. Frustra autem expectatur eventus, cujus nullus est effectus *c. Cum contingat. de Off. et potest. delegat.* Nec obligat ulla lex ad actus frustraneos et inutiles l. *Quoties. 12. ff. de Reb. dub.* Hinc neque necesse est, ut confessarius multum indaget, sed potest ipsis conjugibus simpliciter asserentibus credere, et ad verbum ipsorum dispensare, nisi manifeste videret, illos sine ullo scandalo separari posse, prout v. g., contingere posset, si putativi conjuges vagi, et in loco dispensationis penitus ignoti essent, consequenter absque scandalo separari facile possent; nisi forsitan invicem ita essent affecti, ut nulla ratione separari velent, et negata dispensatione nihilominus in priori malo statu permansuri maximo cum ipsorum proprio scandalo præviderentur.

471. X. Aliudque canonicum non obstat impedimentum, *quid velit.* — X. « Aliudque canonicum non obstat impedimentum, » quia dispensatio non nisi super petitis datur, et data censetur, consequenter aliud non expressum minime tollit, ut habet certa et communis arg. c. *Inter dilectos. 6. § Cæterum. de Fide Instrum.* et dictum est supra. Hinc si confessarius præter expressum in litteris impedimentum, etiam alio laborare penitentem cognoscit, dispensare nequit;

etsi bona fide, et ex ignorantia invincibili illud exprimere omiserit penitens.

472. XI. Dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, *quid significet? Remissive.* — XI. « Dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute, ut latoris delictum nusquam detegatur. » De sensu et adimplitione hujus clausulæ dicitur infra § finali.

473. XII. Secrete contrahere *quid importet? Remissive.* — XII. « Ut matrimonium secrete ad vitanda scandala, » id est, sine parochio, et testibus de novo contrahere valeat, prout amplius dicemus infra cit. § finali.

474. XIII. Prolem susceptam legitimam decernendo, *quid?* — XIII. « Prolem susceptam, si qua sit, exinde legitimam decernendo in foro conscientiæ tantum. » Pro intelligentia hujus clausulæ plura sunt notanda. Et primo quidem, quod, si matrimonium præmissis denuntiationibus in facie Ecclesiæ bona fide saltem ex parte unius jam erat contractum, proles ex eo nata quoad omnia in utroque foro ipso jure sit legitima per jura et rationes allegatas tit. XVII, § 1, a. n. 2.

475. Quos effectus habeat hæc legitimatio? — Secundo, si proles fuit concepta ante dispensationem et matrimonio mala fide ex parte utriusque contracto, legitimatur vi dictæ clausulæ in foro conscientiæ quoad omnes effectus tam temporales, successivem v. g. in hereditate, quam spirituales; eo quod tunc Pontifex censeatur dispensare in radice matrimonii juxta dicta supra n. 357, et seq. contra Sanchez, lib. VIII, disp. 7, a. n. 20.

476. Tertio, si proles concepta et nata fuit ante matrimonium invalide contractum, vi dictæ clausulæ etiam pro foro interno legitimatur tantum quoad effectus spirituales, consequenter nec in occulto bona conscientia succedere potest in bonis temporalibus, si extant alii liberi legitimi per dicta n. 356, et etiam lib. III, tit. XXXI, de *Testam.* et XXXII, a. n. 18.

477. Quarto, si post dispensationem ex matrimonio mala fide utriusque prius invalide contracto, nunc autem revalidato nascitur proles, legitima censetur proles quoad omnes effectus temporales, et spirituales per dicta cit. tit. XXXII, a. n. 2.

478. Quinto, quod dicta clausula memoratos præfatos tres a n. 475, enumeratos effectus pariat in foro conscientiæ tantum,

nullatenus vero in foro externo, casu, quo impedimentum evaderet manifestum, uti patet ex clausula ponenda n. 480.

479. Legitimatio proli fieri debet sub confessione sacramentali. — Interea notandum, quod sicut supra n. 457, de dispensatione diximus, legitimatio hæc proli necessario fieri debeat in ipso actu confessionis sacramentalis, et extra illam facta sit invalida etiam pro foro interno, eo quod in litteris dispensationis expresse caveatur, et pro forma præscribatur, « ut proles, si qua sit, legitima decernatur in ipso actu sacramentalis confessionis, et non aliter, nec alio modo. »

480. XIV. In foro conscientiæ tantum, *quid importet?* — XIV. « In foro conscientiæ tantum, etc. ita ut hujusmodi absolutio, et dispensatio latori in foro judiciario nullatenus suffragentur. » Hæc clausula aperte indicat, quod sacra pœnitentiaria, uti non potest, ita nec velit aliter absolvere, dispensare, et legitimare, quam in casibus occultis pro solo interno foro. Hinc juxta communem et certam doctorum si impedimentum aliquando desineret esse occultum, et evaderet publicum quocumque tandem modo, ordinarius ad evitanda publica scandala illico separare deberet conjuges, quantumvis in foro interno vi dispensationis legitimos, etiamsi ordinarius ipsemet pro foro interno cum ipsis dispensasset, juxta dicenda infra vel aliunde certo sciret, sacram pœnitentiariam cum ipsis dispensasse. Pariter subjacerent pœnis a jure statutis, ipsæque proles quoad omnia reputarentur illegitimæ, eo quod in ordine ad forum externum nullum prorsus effectum habeant pœnitentiariæ litteræ, prout ipsæmet clare indicant per clausulam in foro conscientiæ tantum, et in foro judiciario nullatenus suffragentur. Cum dictio tantum præcise includat expressum, et reliqua omnia excludat arg. l. *Qui sella. § Qui actum. ff. de Servitut. rust. præced.* cum concord. et dictio nullatenus sit universaliter negativa excludens omnia etiam minima, et negans omnes casus, uti cum communi amplius refert Barbo. *de Diction. diction. Nullatenus.* arg. l. fin. c. *de Testam. milit.* cum concord. Hinc ne quid pro foro externo probari valeat, ponit ulterius sacra pœnitentiaria sequentes clausulas.

481. XV. Nullis super his testibus requisitis: *Quid velit?* — XV. « Nullis super his

testibus adhibitis, aut litteris datis, » vi cujus clausulæ vult, ut pro dispensatione facienda, vel facta nullus testis adhibeatur, nec de ea facta litteras testimoniales det confessarius, nec ipsemet oretenus desuper testetur, sed circa eam, utpote in, et sub ipso sacramentali actu præcise factam, in foro externo se habeat, quasi nil de ea sciret. Ad quam finem observanda etiam est sequens clausula.

482. XVI. Præsentibus laniatis, *quid importet?* — XVI. « Præsentibus laniatis, quas sub pœna excommunicationis læsententiæ laniare tenearis, ita ut nullum earum exemplum extet. » Per quam clausulam tenetur confessarius sub gravi peccato mortali dilacerare dispensationis litteras; eo quod excommunicatio, quæ non dilaceranti ipso facto infligitur, non nisi propter peccatum mortale infligatur juxta communem TT. ubi tamen per laniationem non solum intelligitur proprie dicta laniatio, seu dilaceratio, sed quivis alius actus, quod litteræ ita corumpuntur, ut non amplius possint esse usui, aut probationi pro foro externo, quod præcipue intendit sacra pœnitentiaria. arg. c. *Intelligentia. de Verb. signif.* ibi: « Intelligentia dictionum ex causis est sumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus. Et, scire leges non hoc est verba earum tenere, sed vim ac potestatem, » l. *Scire. ff. de Legib.* Hinc satisfaceret quis clausulæ, si dictas litteras combureret, in profluentem projiceret, deleteret, etc.

483. *Potest de litteris scripta retineri copia non tamen authentica.* — Potest etiam eas describere, et copiam pro sua, vel aliorum instructione retinere; quia illa verba ita ut nullum earum exemplum extet, prohibent tantum copiam authenticam in debita juris forma factam, servientem ad probandum pro foro externo, ut bene advertit Gobath, in *Quinar. tract. V, cap. xxxiv, n. 273.*

484. XVII. Neque latori restituas, *quid mandet.* — XVII. « Neque latori restituas. » Contra hanc clausulam rursus graviter peccaret confessarius, si litteras executioni aliquando mandatas, iterum restitueret penitenti, ut bene loc. cit. n. 274, observat Gobath, merito tamen addens, novam excommunicationem propterea non incurri.

485. Dicitur autem notanter litteras executioni mandatas; quia, si eas ex aliqua causa exequi non vellet, aut tardaret confessarius ad exequendum a penitente elec-

tus, debet illas petenti iterum tradere, ut possit alium confessarium quærere, et eligere, qui forsitan alterius, et benignioris opinionis existens, easdem exequi non dubitat, quod pœnitenti licitum esse, supra n. 451, jam diximus.

486. XVIII. Quod si restitueris, etc., nihil suffragentur, quid innuat? — XVIII. « Quod si restitueris, nil ei præsentes litteræ suffragentur; » intellige in foro externo; quia postquam executioni jam fuere mandatæ, earum valor et effectus pro foro interno minime tollitur ex eo, quod confessarius illas iterum tradat pœnitenti, quamvis tradendo graviter peccet juxta dicta n. 484.

487. XIX. Gratis ubique, quid significet? — XIX. Gratis ubique, hæc a tergo inscribi solita id significat, quod nec officiales pœnitentiariæ, nec executores litterarum illius possint aliquid exigere, vel acceptare etiam sponte oblatum, etiam sub prætextu laboris. Lezana, *ŷ. Litteræ apostolicæ*, n. 34; Gobath, in *Quinar.* tract. V, cap. xxxvii, n. 279. Post factam vero dispensationem aliquid gratis oblatum accipi posse, desumitur ex dictis n. 321.

488. *Compendiosa recollectio, quis exequi possit litteras pœnitentiariæ?* — Quæritur VI. Quis possit esse executor litterarum dispensationis a sacra pœnitentiaria emanatarum pro solo foro interno? Quamvis ad hoc quæsitum jam pateat ex dictis hoc § tamen pro majori commoditate breviter recapitulando dicta. Resp. I. Ordinarie loquendo nullus potest exequi dictas litteras, et dispensare cum pœnitenti, nisi sit verus magister, seu doctor in theologia, vel jure canonico juxta dicta n. 441. Vel habeat speciale privilegium, prout juxta dicta n. 445, sunt lectores jubilati ordinis nostri, item patres societatis, et alii mendicantes a generalibus rite designati per dicta n. 446, et seq. Debet insuper esse approbatus ab ordinario per dicta n. 449, et specialiter electus a pœnitente per dicta n. 450.

Resp. II. In casu extraordinario possunt etiam alii non magistri, vel doctores exequi præfatas litteras juxta dicta n. 452.

489. *Alia similis recapitulatio, quomodo se gerere debeat executor, ut valide, ac licite exequatur, ac dispenset?* — Quæritur VII. Quomodo in praxi gerere se debeat a pœnitente electus executor, ut rite, valide, ac licite exequatur memoratas litteras? Resp. Debet observare sequentia. Primo debet conside-

rare, et perpendere, an ipse habeat qualitates ad exequendum requisitas juxta dicta alias enim foret invalida.

Secundo: debet monere latorem de necessitate confitendi juxta dicta, illiusque confessionem sacramentalem excipere juxta dicta n. 457.

Tertio: debet ipsum examinare pœnitentem, ac videre, an preces veritate nitantur, existente enim falsitate circa causam motivam, vel errore circa impedimentum, aut gradum, dispensare nequit juxta dicta n. 423. Et an non aliud lateat impedimentum juxta dicta n. 471.

Quarto: debet obiter saltem videre, an non sine scandalo separari, vel saltem ut frater et soror absque periculo incontinentiæ cohabitare possint, juxta dicta num. 471.

Quinto: debet mandare pœnitenti, ut occasionem proximam peccandi, si adhuc extat, amoveat, et donec auferatur, dispensationem differre juxta dicta n. 462.

Sexto: debet etiam ante dispensationem ipsi injungere gravem pœnitentiam, ac insuper confessionem menstruam singulis ad minimum semel peragendam toto tempore vitæ, juxta dicta n. 464.

Septimo: injuncta pœnitentia debet ipsum absolvere a censuris, et aliis pœnis, juxta dicta n. 468.

Octavo: præstitis, et rite observatis præfatis debet primum cum ipso dispensare sub ipso adhuc confessionis sacramentalis actu, et non extra confessionem, juxta dicta n. 457.

Nono: sub eodem confessionis actu prolem, si qua jam sit concepta, decernere legitimam, juxta dicta n. 474.

Decimo: instruere pœnitentem, qualiter matrimonium de novo contrahere possit, et debeat, juxta dicenda § fin.

Undecimo: facta executione, dispensatione, et legitimatione proles debet sub peccato mortali, et excommunicatione litteras dilacerare, vel alias ita corrumpere, ut ad probationem in foro externo non amplius servire valeant, juxta dicta n. 482. Nec potest eas in originali asservare, multo minus restituere pœnitenti, per dicta n. 484.

Duodecimo: non debet, nec potest pœnitenti dare litteras testimoniales de facta dispensatione, nec unquam oretenus desuper testari, juxta dicta n. 481. (ADNOTATIO CIII.)

§ X.

DE PRAXI PROCURANDI DISPENSATIONEM APUD EPISCOPUM, TAM PRO FORO EXTERNO, QUAM SOLO INTERNO: ITEM DE PRAXI DISPENSATIONIS FACIENDÆ PER EPISCOPUM, AC DE FORMULIS LITTERARUM DISPENSATIONIS EPISCOPALIS: NECNON DE EXECUTIONE EARUMDEM.

490. *Dispensationem procurare volens apud episcopum, debet ante omnia videre, an episcopus in casu dispensare valeat.* — Quæritur I. Quomodo in praxi procurari possit, et debeat apud episcopum dispensatio super publico impedimento matrimonii pro foro externo? Quamvis etiam ad istam quæstionem a potiori jam pateat ex dictis; nihilominus quia hanc appendicem scribimus pro commoditate cujusvis, abs re non erit, breviter, et clare partim repetere, partim magis ad praxin declarare, quæ pro præsentis quæsiti serviunt, præsertim cum minus de iis ad propositum inveniatur in auctoribus. Itaque Resp. Eum, qui pro foro externo dispensationem procurare vult apud episcopum, oportet sequentia observare.

Primo et ante omnia debet videre, an super impedimento, super quo dispensatio consideratur, dispensare valeat episcopus de jure communi, vel speciali facultate, et quasi privilegio Super quibus autem de jure communi dispensare possit, habetur supra a n. 10. Et super quibus ex speciali facultate, vel quasi privilegio n. 21 et 22.

491. *Et subinde, an oratores sint vere pauperes.* — Secundo, si consanguinitatis, vel affinitatis est impedimentum specialiter etiam videre debet, an oratores revera sint pauperes: quia super hoc impedimento non nisi cum pauperibus dispensare valet episcopus juxta dicta n. 25.

492. *Item an adsit justa causa dispensandi.* — Tertio debet videre, an et qualis adsit causa dispensandi, quia etsi nescio quas dispensandi speciales facultates, seu quasi privilegia habeat episcopus, tamen sine justa causa nec valide, nec licite dispensare potest juxta dicta n. 29, sufficit autem ad dispensandum pro foro externo quævis talis causa, ex qua dispensare potest, et solet Papa juxta dicta num. 68 et 144; quænam autem sint causæ, ob quas dispensare solet Papa, habes § 3. a n. 69.

493. *In supplicatione, quæ pro dispensatione offertur episcopo, debent exprimi, quæ exprimentur in supplicatione, quæ Papæ offertur.* — Quæritur II. Quænam in supplicatione ad episcopum debeant exprimi ad obtinendam dispensationem pro foro externo? Item quomodo in praxi formari, et quo dirigi debeat dicta supplicatio? Resp. I. Debet in illa omnia exprimi, quæ necessario exprimenda diximus in supplicatione ad obtinendam dispensationem pro foro externo apud Curiam romanam, videlicet 1. Nomen et cognomen oratorum. 2. Nomen diœcesis; et etiam parochiæ ob dicenda n. 495. Et reliqua compendiose relata supra n. 203, ubi vide.

494. *Quæ falsitas, et quis error in ea vitiet dispensationem?* — Resp. II. Debet etiam specialiter attendi, ne committatur falsitas circa causam finalem, seu motivam, et principalem; item ne fiat error circa impedimentum, aut gradum, vel nomina oratorum. Sicut enim litteræ dispensationis pontificiæ vitiantur et nullæ sunt ob dictam falsitatem, et errorem per dicta § 5, ita etiam dispensatio per episcopum facta juxta dicta supra.

495. *Formula supplicationis episcopo offerendæ pro dispensatione super impedimento consanguinitatis in tertio, et quarto gradu.* — Resp. III. Quamvis ad concipiendam supplicationem pro obtinenda dispensatione apud episcopum in ordine ad forum internum, nullus certus necessarius sit modus, sed suscipi, et attendi soleat in quacunque forma offeratur; dummodo necessario exprimentur rite, veridice, et reverentialiter proponantur, teste curiarum episcopaliū praxi; tamen optimum ac securissimum est, in supplicatione eum adhibere modum et formam, qui adhibetur, dum supplicatur Papæ; quia non potest non esse bonus et securus modus, quem romana curia continuo approbat.

Hinc sicut apud curiam romanam debet, ita apud episcopum convenit, supplicationem formare idiomate latino, propriis, claris, asitalis, et brevibus verbis juxta dicta num. 236, quia etiam episcopus non desiderat inutiles ambages aut superfluas ceremonias, multo minus quæsita ornata, vel affectata verba, sed substantiam rei simpliciter, clare, et breviter propositam.

Resp. IV. Dictis conformiter bene fit supplicatio ad episcopum modo sequenti.